AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Göttweig (?), 12. Jh. Seite 56r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

INCIPIT. LIB. VI. CONFESSIONUM. S. AUG.

SPES MEA
a iuuentute mea ubi mihi eras et quo recesseras.
An uero non tu feceras me et discreueras me a quadru
pedibus et uolatilibus caeli. sapientiorem me feceras.
et ambulabam per tenebras et lubricum et querebam te foris
a me. et non inueniebam deum cordis mei. Et ueneram in profun
dum maris. et diffidebam et desperabam de inuentione ueri.
Iam uenerat ad me mater pietate fortis terra marique me
sequens. et in periculis omnibus de te secura. Nam et per marina
discrimina ipsos nautas consolabatur a quibus rudes abyssi
uiatores cum perturbantur consolari solent. pollicens eis per
uentionem cum salute. quia hoc ei per uisum tu pollicitus eras.
Et inuenit me periclitantem quidem grauiter desperatione in
dagandae ueritatis. sed tamen ei cum indicassem non me quidem
iam esse manicheum sed neque catholicum christianum. non quasi inopi
natum aliquid audierit exiliuit laetitia cum secura iam
fieret ex ea parte miseriae meae in qua me tamquam
mortuum sed resuscitandum tibi flebat et feretro cogita
tionis efferebat. ut diceres filio uiduae iuuenis tibi di
co surge. et reuiuisceret et inciperet loqui et redderes
illum matri suae. Nulla ergo turbulenta exultatione tre
pidauit cor eius cum audisset ex tanta parte iam factum quod
tibi cottidie plangebat ut fieret ueritatem me nondum adep
tum sed falsitati iam ereptum. immo uero quia certa erat
et quod restabat te daturum qui totum promiseras placidissi
me et pectore pleno fiduciae respondit mihi credere
se in christo quod priusquam de hac uita emigraret
me uisura esset fidelem catholicum. Et hoc quidem mihi.
tibi autem fons misericordiarum preces et lacrimas densiores.